Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1529
Quelle:
Copyright:

opuſculi egregij domini doctoris Magiſtri petri de pulka contra certos articulos huſſitarum Scripti Anno domini 1426°. De Viro hoc, qui annum 1433. vivendo exceſſit, adi *Seculum I. Scriptt. Univerſit. Vien. p. 95.* neminem enim, qui praeterea de eo egiſſet, novimus. Tractatus vero ipſe habetur etiam *Codd.* aliis, ut videre eſt in *Indice.*

II. *fol.* 49. *Adlocutio ad Synodum* quandam de Autoritate Romanae Ecclesiae potiſſimum circa Ritus Sacrorum. Adpellatur in margine *Arenga* et incipit: *Patres Reuerendi nos ad contenciones non ſumus congregati* &c. Finit autem: *Suſſiciat igitur vobis auctoritas eccleſie ſancte ut depoſito ritu communicandi de neceſſitate vtraque ſpecie &c. Conformes vos exhibeatis in hoc et in alijs ſacramentis et immaculate eccleſie Romane tanquam deuoti filij obedientes matri ſue Amen.* Videtur ejusdem *Petri de Pulka*, qui inter alia ad Decreta *Concilii Conſtant.* provocat.

III. *fol.* 55. Series *Sermonum XV. de Feſtis Domini, B. V. et Sanctorum*, verisimiliter ab eodem *Petro*, aut *Henrico de Haſſia*, aut *Nicolao de Dünkelspühl*, aut alio ex Theologis *Acad. Vindob.* illius aevi habitorum.

IV. *fol.* 126. Opuſculum tripartitum: *de Praeceptis, de Confeſſione et de Scientia mortis*, cujus initium: *Chriſtianitati ſuus qualiſcunque zelator* &c. Eſt *Johannis Gerſonis*, legiturque inter ejus Opera a *Dupinio* edita T. I. *col.* 425. *Antverp.* 1706. f. deeſt tamen in *Cod.* noſtro *Epiſtola* ibidem praefixa *ad quemdam Epiſcopum.* Opuſculum iſtud *gallice* redditum alio loco infra referetur. *Belgice* impreſſum extat 1482. 4.

V. *fol.* 133. *Oratio ad Chriſtum*, quae incipit: *Verbum mihi eſt ad te o rex ſeculorum chriſte ihesu*, et finit: *Tibi autem vnice Dei cum eterno patre et ſpiritu ſancto laus indeficiens immolate* (immortale) *decus et regnum ſolidum permanens in ſecula ſeculorum amen.* Dein: *Explicit ſolliloquium Berchardi de ſancto victore De commendacione ſacramenti domini noſtri ihesu chriſti.* Berchardum, opinor, ſcripſit Librarius pro *Richardo;* inter cujus tamen *Opera Colon. Agripp.* 1621. 4. edita myſticam hanc Precationem non reperio.

VI. *fol.* 134. p. 2. *Sylloge Sententiarum moralium* diverſi argumenti in Alphabetum redacta, hoc initio: *Abſurdum nimis et alienum dinoſcitur ſi patres aures honeſtis filiorum precibus obdurent* &c. Definit in X. litera his verbis: *quam fraudulenta oſcula inimici. Et ſic habent finem proverbia et auctoritates Deo gracias.*

VII. *fol.* 138. rurſus incipit *Series Sermonum* XXVII. *in Dominicas Adventus, Feſta Domini et B. V.* iisdem, quos ſupra indicavi, Autoribus. Speciatim Sermo *de Aſſumptione Virginis fol.* 168. p. 2. reperitur in alio *Cod.* inter Sermones *Petri de Pulka.* Sermoni *de Virginis Natiuitate*